Carmen
Saphico-Adonicum
Viri Celeberr. Branderi
Nomine
transcriptum
ad R. P. Maximilianum Hell, S. J.
postquam Is ad eundem Augustae Vind. inviserat;

Aō 1770 redux ab ~~Expe~~ Expe-
-ditione sua literaria
ad Polum arcticum
causa observandi Trans-
-itus Veneris suscepta
~~Aō 1770.~~ qui Transi-
-tus accidit Aō 1769
die 3 Junij. in
insula Maris glacia-
-lis Wardoehus, ~~dicto~~
observatus.

quod Neoburgi ad Danub.
dirigente P. Carolo Michaëler
lucubratus est, et peroravit
M. Aloysius Obexer.

O diem tersam nebulis ab omni
Parte, qua ridens mihi Sol sereno
Annuit vultu; dedit et serenos
Cernere vultus!

Haec mihi est albis merito lapillis,
Haec meis fastis propere notanda;
Aureis haec est decoranda signis
Prima dierum.

Nunc ego Regum trabeasque possim,
Sceptraque, et pompas procul aspicere.
Nunc ego sedes, Academe, vestras
Temnere possim.

Nulla Magnates ita sors beavit
Gaudiis ludens vafra corda circum:
Qualibus Sol hic cumulans favore
Me bene mactat.

Nam quid eſt tanti ſolus in altis?
Regium majus quid habet cubile,
Ac Virum, cui vix ſimilem Matheſis
Tota ſalutat?

Rara per terras, per et aequor urgent
Advehi Reges: nequeunt tot inter
Rara nanciſci latebras profundae
Noctis opertas

Ingenii gemmas. Patrio Penati
Saepe quod natum eſt, ~~ſub~~ fugit alta Regum
Lumina, et neſcit ſua dona Princeps.
Dicite, quanto

Me beat ſors major! Adeſt vel ultro,
Et Lares noſtros peregre revectus
Huc ab arctoo Boreae receſſu
Regius Hoſpes

Pulſat: O quantum decus eruditi
Orbis! O quanto prior Ille cunctis,
Quos citant Doctos, velut inter ignes
Luna minores.

Odi ego ſuſpenſo hederae maniplo
Lucis opus, vel quos popularis aura
Laudis in coelum leviter merentes
Neſcia tollit.

Nec tamen parcos Academus ipſe
(: Jamne Doctorum ſeges illa rara eſt? :)
Indigens tinctos obiter ſupremis
Sedibus infert.

Fundere his nullo subigar periclo
Empta fundenti licet ultro thura.
Magna me nunquam streperi movebunt
Nomina vulgi.
Mille si Doctos via portet isthuc,
Delphici qui instar tripodis loquantur:
Non ab his conflabitur universis
Helius unus.
Nullus hic fucus: genuina cuncta:
Nulla quaerendae laudis hic egestas:
Sed jugem a primo meditans laborem
Flore juventae
Navitas jam natae ad acuta mentis
Crevit ad summum sine labe culmen.
Euge, quam raro cumulo tot almae
In caput unum
Confluunt dotes! Spatium per ingens
Saeculi haud surgunt duo tam beati,
Quos ita adflarit nihil invidenti
Igne Prometheus.
Publicam lucem hoc Patre qui videbant
Principes partus, sobolesque mentis,
Sunt mihi testes, meliorque justae
Laudis imago:
Quos licet rerum gravitate fartos
Lima Scriptoris decies polivit;
Archimedea altius evisse
Nullus ut ausit
Arte Naturae latitantis astus.
Quorum inanis lux oculos Tironum
Detinet: tanquam rudimenta spernit
Helica proles.

Integra tractant fide, et examuſsim
Vigerunt, doctisque notis tenebras
Diſsipant longe: licet irretorto
Lumine ſudum
Et polum, et terram ſpeculari, et, ad quas
Torpuit non uni acies hebeſcens,
Luminum cauſas peragrare, rerum
Noſse receſsus
Ultimos; certis oculis opertos,
Mutuosque his fas penetrare nexus,
Et tuum, rerum genitrix verenda,
Viſere limen.
Vidimus talem, Vir acute, dudum:
Teque Branderus tacite ſtupeſcens
Iam diu ſenſit. Quot ab aeſtuante
Pectore voces
Traxeram! Addictae quot anhela vota
Indices mentis! Tibi vel ſalutem
Mittere ut poſsem, ſubeunte linguae
Munera dextra
Hoc ſubiit pectus quoties cupido!
O tueri unquam mihi vultum, et ora
Fas ſit! O quanto magis ut daretur
Copia fandi!
At Virum nunquamne mihi videre
Contigit? Vultus ego tumne primum
Hosce conſpexi; neque pervetuſto
Cognitus uſu eſt?

Num mihi credam, caput hocce nunquam
Vel ſemel viſum? Quianam ſed ille
Jamque congreſſu mihi ſponte primo
Pectus amicum
Jure ceu fungens veteri recluſit?
Me quaſi dudum teneris ab annis
Norit, aut ipſo mihimet propinquus
Sanguinis ortu
Neſcium annoſi peregre reviſat
Ad Larem Fratris ſimulatus hoſpes:
Namque ſic ludens oculos amica
Fraude, jocoque
Obruit dulci cor amantis ipſam
Hanc ſibi ſtructam pietate fraudem:
Quippe ni de me bene cogitaſſet
Veſte nigella,
Candidae ſed prae nive mentis agmen,
Quique cum primis fuit innocentis
Artifex ludi: haec nova tam propenſi
Pectoris index
Tecta Branderi ſtropha non beaſſet.
Scilicet falli fuit hic amari.
Quo mage argutus dolus ipſe: tanto
Majus amoris
Inde decepto ſpecimen reluxit,
Semper ut carae meminiſſe ſcenae
Accidat gratum. Peregrina veſtis
Husque ea juſto

Certa personam ut ſimulabat apte!
Hellium nam quis putet hic latere?
Luſit et rurſus nimium rogantis
Sermo pudicus.

Voſque luſiſtis celeres amici
O nimis! Sueti ſociare primum
Verba vobiſcum ſtudia occupaſtis
Nota rapaces.

Ecquis haud captus laqueis tot eſſet?
Ergo neglectus ſtatione muta
Abſtitit noſter retro me ſilente
Advena doctus.

Imo condictis quoque, qui venirent
Iſta ſpectatum, quis in ore pallor,
Quis mihi vultus foret obſtupentis
Nomen ad Hellû.

Cuncta vidiſtis, fateor videnda
Raro. ſed multo tamen intus ipſe
Plura perſenſi, monitu doloſo
Quando coactus

Quod Viro nomen foret, obſecrabam.
Hellio audito, profitente verum,
Quem rogavi, ipſo, velut ignis acri
Percitus ictu,

Hore de vita dubitantis haeſi,
Genua laſſabant, oculis videbar
Iam pati noctem, cito jamque ~~luce~~ eandem
Luce ſubactam.

Paene me oppreſſit liquidi voluptas
Gaudii, tanta quod ab arte fluxit,
Quodque acervavit nihil ominantis
Praevius error.

Nonne laetarer, tenuiſſe Talem,
Jamque damnatum ſubito flagrantis
Eſſe me voti, reducem a Borei
Sideris axe

Dum pedem ad noſtros retulit Penates
Victor expletis freta per tot auſis,
Edepol brumam, nebulasque contra
Qualibus auſis!

Is tamen vicit, prohibere caelo
Quidquid hic viſum eſt oculos ſagaces.
Nil eum ſolum rutilans fefellit
Stella Cytheres.

Hicque Doctorum Daniae per oras
Publica poſtquam tenuiſſet aures
Doctor orcheſtra, nituitque aquoſi
Munere Regis:

Hic Vir ad noſtras humilis tabernas
Attulit tanti monimenta facti,
Nec meo fumo radios timebat
Poſſe retundi.

Hanc ita ornatam mihi ſuaviari
Dexteram: hunc tecto licuit meomet
Hoſpitem, et prima ſimul hunc amicum
Noſſe ſalute.

Non ego laeter toties beatus
Pluribus deinceps bene luculentis
Solibus? Mergendavii viseta,
Vos mihi testes!

Quam breves horas, epulasque gustus
Duxerim expertes, mihi dum vacantis
Dulce pendebam nimis o diserto
Totus ab ore.

O diem tersam nebulis ab omni
Parte, praeterquam his oculis, obortus
Nube sol ipsa quibus inde plus et
Fulsit, et arsit.